



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De corpore Domini ex ecclesia sublato, quod à bobus in agro proditum est,
cap. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

crucifixissent: ille cognitum contempsit, & contemnendo crucifixit. Iam tibi satis probatum arbitror, quòd sub specie panis sit verum corpus Christi, & tã à malis quam à bonis sacerdotibus cõficiatur. APOLO-
 LONIVS: Si sacerdotes omnes talia audirent, audiri-
 que crederent, puto quòd plus quàm modò deifica sa-
 cramenta honorarent. CAESARIVS: Satis mirabile
 est, quòd nos homines, pro quorum salute hoc sacra-
 mentum institutum est, tam tepidi simus, cùm bruta
 animalia, vermes & reptilia, in illo creatorem suum
 recognoscant.

CAPVT VII.

*Bestia
 Chri-
 stum in
 Eucha-
 ristia ag-
 noscunt
 & vene-
 rantur.*

IN villa, quæ Komele dicitur, nocte fures ecclesiã
 infringentes, inter cætera etiam scrinium cū cor-
 pore Domini inde tulerunt: qui cùm nihil aliud
 in eo præter reliquias & pixidẽ cum sacramẽto repe-
 rissent, nil prorsus de eis curantes, eandem pixidem
 super sulcum agri villæ proximi ponentes, confusi re-
 cesserunt. Manẽ cùm rusticus cum aratro & bobus in
 eodem agro araret, venissentque animalia iuxta pixi-
 dem, stupentia steterunt, quos cùm arator stimula-
 ret, nec procederent, nunc recalcitrando, nunc exor-
 bitando, iratus ait: Quis diabolus est in bobus istis
 non enim clarè videre poterat, quia in orru diei ara-
 bat: diligentius tamen circumspiciens, deprehendit
 ante pedes boum pixidẽ & scrinium ecclesiæ suæ iux-
 ta illam. Tunc causam rebellionis non ignorans, om-
 nibus in agro dimissis, in villam recurrit, tam sacerdo-
 ti quàm cæteris quæ acta sunt referens. Tunc omnes
 simul in agrum descendentes, cum cruce, thuribulo,
 & cereis, corpus Dominicum in ecclesiam reportave-
 runt: huic processioni interfuit Godefridus Prior de
 Houene, qui mihi ista recitauit. Similem honorem ei
 asini exhibuerunt, de platea in lutum descendendo, si-
 cut me dixisse recolo distinctione 4. cap. 98. audi nunc
 de vermiculis.